



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

Biterrense. 1279.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

tionem, omnes qui ex tunc contra fecerint, nominatim denuntientur interdicti. Nos enim eos interdicimus qui spretis dictis monitionibus festiuitates prædictas dictis modis violare præsumpserint. Et si eorum creuerit contumacia, eosdem anathematizare proponimus, & invocare contra ipsos, si opus fuerit, brachium seculare.

V. Mercata etiam teneri in diebus dominicis inhibemus, nisi in nundinas solemnes inciderint. Et qui trina monitione præmissa non cessauerint ab eisdem, simili per omnia coherceantur censura.

VI. Si verò Iudæi illud præsumpserint, postquam hoc mandatum nostrum fuerit publicatum, denuntietur Ballivo loci. Et nisi ter monitus eosdem Iudæos cessare compulerit, excommunicationis sententia, quam nunc ferimus in rebelles, denuntietur publicè innodatus.

CONCILIUM BITERRENSE
Habitu anno MCCLXXIX.

NOTUM sit cunctis quòd anno Domini millesimo CCLXXVIII. in crastinum festi Inventionis sanctæ Crucis, fuit celebratum Concilium apud Biterrim per Reverendos Patres Dominos Petrum

Dei gratia Archiepiscopum Narbonensem, Pontium Biterrensem, Bertrandum Tolosanensem, Berengarium Magalonensem, Bertrandum Elnensem, Petrum Agathensem, Petrum Nemaufensem, & Galterum Carcassonensem eadem gratia Episcopos. Qui Domini Episcopi, & etiam Lodovensium & Vticensium, vocati fuerunt per litteras ipsius Domini Archiepiscopi, quarum tenor noscitur esse talis.

PETRUS miseratione divina sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, venerabilibus in Christo fratribus Dei gratia Biterrensi, Magalonensi, Lodovensi, Vticensi, Agathensi, & Nemaufensi Episcopis, salutem & sinceram in Domino caritatem. Cùm super magnis & arduis negotiis antiquis, & etiam de novo emergentibus, quæ communem tangunt statum Ecclesiarum provincie Narbonensis, vobiscum & aliis fratribus nostris suffraganeis habeamus locum qui pariter & tractare, fraternitatem vestram rogandam duximus, tenore presentium vobis nihilominus mandantes, quatenus in crastinum post instans festum Inventionis sanctæ Crucis, aliis prætermis negotiis, apud Biterrim nobiscum personaliter intersitis, ut vobiscum tractemus de præmissis quod honori & utilitati communi Ecclesiarum ipsius provincie expedierit.

viderimus, & Dominus ministrabit. Datum Montillis xvi. Kal. Maij, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

Sub eadem forma ivit littera ad Dominos Tolosanensem, Elnensem, & Carcassonensem Episcopos.

LITTERÆ PETRI ARCHIEPISCOPI
Narbonensis, de rebus gestis in Concilio
Biterrensi anno MCCLXXIX.

PETRUS miseratione divina sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, discretis & religiosis viris Abbatibus, Prioribus conventualibus, Capitulis, & Conventibus, tam secularibus, quàm regularibus, per civitatem, diocesim, & provinciam Narbonensem constitutis, ad quos præsentem litteræ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Cùm in Concilio apud Biterrim per nos ac venerabiles fratres nostros Episcopos provinciæ Narbonensis, ad cuius convocationem vestris credimus non modicum pepercisse laboribus & expensis, ordinatum extiterit ut nos unâ cum venerabili fratre nostro Episcopo Tolosano ad instans Parlamentum debeamus in Franciam personaliter proficisci, constitutique sint in ipso Concilio

procuratores qui in ipso Parlamento comparere debeant pro provincia Narbonensi super antiquis & de novo novitatibus aliquibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeudis, alodiis, & exercitu, & gravaminibus illatis, & quæ cotidie inferuntur, quæ communem tangunt statum Ecclesiarum & monasteriorum ejusdem provinciae, libertates, immunitates, & privilegia ostensuri, prout in ipso procuratorio videbitis plenius contineri; universitatem vestram requirendam tenore præsentium ducimus & rogandam, quatinus in procuratorio quod vobis per latorem præsentium mittimus, vestrum quilibet sigillum suum apponat. Datum Biterris III. Nonas Maij, anno Domini millesimo CCLXX. nono.

CONCILIUM BITERRENSE
Habitum anno MCCLXXX.

Litteræ Bernardi Episcopi Helvenensis ad Petrum Narbonensem Archiepiscopum, Metropolitanum suum, quibus se excusat quod in Biterrensi Concilio præsentiam suam exhibere non potest, & vicariam personam pro se mittit.

VENERABILI in Christo Patri
Domino P. Dei gratia sanctæ Nar